



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Resp. 1. Liberum arbitrium per se & secundum essentiam suam
confideratum, non versatur circa finem ultimum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

rest. Liberum enim arbitrium est facultas actuum suorum domina; cum sit facultas electiva. Atqui intellectus non est facultas actuum suorum domina. Nam 1. necessariò apprehendit objectum sibi sufficienter propositum. 2. Necessariò iudicat objectum illud esse verum, quod ipsi evidenter proponitur ut verum, & illud esse falsum, quod ipsi evidenter proponitur ut falsum. 3. Necessariò dubitat, quando apparent illi aequalia motiva pro veritate & falsitate objecti. 4. Quando objectum proponitur illi tantum ut verisimile, vel ut credibile, necessariò hæret suspensus, nec determinatè iudicat objectum esse verum, donec ad id iudicandum efficaciter applicetur à voluntate. 5. Necessariò assentitur conclusioni evidenter deductæ ex præmissis evidenter veris. Quod si vel una ex præmissis est tantum verisimilis, manet anceps, nec determinatè assentitur conclusioni, nisi voluntas assensum imperet. Ergo intellectus ad actus suos determinatur vel ab evidentia objecti, vel ab imperio voluntatis, & consequenter non habet actuum suorum dominium. Porro liberum arbitrium sic est formaliter in sola voluntate, quia sola est facultas electiva, facultas libera, & sui determinativa, facultas actuum suorum domina, ut sit etiam aliquo modo in intellectu, nempe radicaliter. Ratio est, quia voluntas, ut possit liberè operari & eligere, præsupponit amplum quendam & eminentem cognoscendi modum, quo intellectus propter suam in cognoscendo amplitudinem & eminentiam, cognoscit diversa eligibilia ut talia, vel rem eandem sub diversis rationibus, secundum quas potest eligi, vel non eligi. Hinc infantes, amentes & dormientes non possunt habere usum liberi arbitrii, quia non possunt cognoscere cum illa eminentia & amplitudine. Hinc bruta sunt liberi arbitrii incapacia, non solum quia appetitus eorum, utpotè purè sensitivus, ad unum determinatus est ex natura sua; sed etiam quia potentia cognoscitiva in illis purè materialis est, & ita nec habet, nec habere potest amplum illum & eminentem cognoscendi modum, quem essentialiter præsupponit electio, & quem habet omnis potentia cognoscitiva spiritalis. Hinc omnis & sola natura intelligens capax est liberi arbitrii.

RESPONSIO III.

Liberum arbitrium inest homini lapso. Est de fide.

Prob. 1. Ex Trid. sess. 6. can. 5. ubi dicitur: *Si quis liberum hominis arbitrium post Ade peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à Satana inventum in Ecclesiam: anathema sit.* 2. Si homo lapsus non habet liberum arbitrium, ceterè quia, ut volunt Lutherus & Calvinus, alique liberi arbitrii olores, non habet libertatem indifferentiæ circa bonum & malum; sed quotiescumque etiam deliberatè operatur, sive bonum sive malum operetur, operatur ex antecedenti determinatione intrinseca. Falsum & hæreticum consequens, ut ostenditur suo loco. Ergo, &c.

ARTICULUS II.

Utrum liberum arbitrium versetur circa finem ultimum.

RESPONSIO I.

Liberum arbitrium per se & secundum essentiam suam consideratum, non versatur circa finem ultimum.

Prob. 1. Liberum arbitrium reperitur in Deo secundum totam suam rationem essentialem. Nam liberum arbitrium est perfectio simpliciter simplex, quæ proinde non diminuitur, sed secundum totam suam essentiam necessariò reperitur in Deo. Atqui liberum arbitrium in Deo non versatur circa finem ultimum, nempe circa Deum ipsum: Deus enim se ipsum necessariò amat, & propter se ipsum necessariò operatur, quidquid operatur, ex hypothesi

quod operetur. Imò Deus eatenus præcisè est liberi arbitrii, quatenus potest pro arbitrio hoc medium in particulari, & inter hæc media pro arbitrio hoc vel illud assumere vel non assumere ad procurandam gloriam suam extrinsecam. Ergo, &c. Hoc argumentum suggerit S. Thom. 1. p. q. 19. a. 10. in O. ubi sic ait: *Cum Deus ex necessitate suam bonitatem velit, alia verò non ex necessitate; respectu illorum, quæ non ex necessitate vult, liberum habet arbitrium.*

Prob. 2. Angeli beati non imperfectius, imò perfectius habent liberum arbitrium, quam homines viatores, & tamen non sunt liberi circa finem ultimum, cui necessariò adhærent, sed tantum circa varia, quæ secundum se apta sunt conjungere creaturam fini ultimo. Item Christus diminutum non habuit liberum arbitrium, & tamen libertatem suam exercere non potuit circa finem ultimum, cui necessariò & immobiliter adhærebat, sed tantum circa hæc vel illa propter finem ultimum. Ergo tota ratio essentialis liberi arbitrii stare potest cum immobili adhæensione ad finem ultimum, nec aliud dicit, quam facultatem eligendi inter media ad finem ultimum conducentia.

RESPONSIO II.

Liberum arbitrium, etiam quale est in homine viatore, non versatur circa finem ultimum formaliter, hoc est secundum communem beatitudinis rationem consideratum.

Prob. Liberum arbitrium non versatur circa illud objectum, quod ex naturali instinctu appetimus. Quod enim ex naturali instinctu appetimus, illud necessariò appetimus. Atqui ex naturali instinctu appetimus finem ultimum formaliter sumptum. Non enim ex propria electione, sed ex instinctu naturali volumus esse felices. Ergo, &c. Sic argumentatur S. Thomas 1. p. q. 19. a. 10. in O. *Liberum* inquit, *arbitrium habemus respectu eorum, quæ non necessariò volumus, vel naturali instinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet, quod volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum.*

Confirm. Appetitus ille non pertinet ad liberum arbitrium, cuius dominium non habemus. Nam secundum omnes, etiam eterodoxos, liberum arbitrium est facultas actuum suorum domina. Atqui domini non sumus appetitus finis ultimi formaliter sumpti. Ergo, &c. *Prob. min.* Domini non sumus appetitus objecti illius, quod non possumus pro arbitrio acceptare vel respuere, hoc est, quod non possumus eligere vel non eligere. Atqui non possumus pro arbitrio acceptare vel respuere finem ultimum formaliter sumptum: non enim possumus pro arbitrio velle vel nolle esse felices. Ergo domini non sumus appetitus finis ultimi formaliter sumpti. Sic argumentatur S. Thomas 1. p. q. 82. a. 1. ad 3. *Sumus domini*, inquit, *nostrorum actuum secundum quod possumus hoc vel illud eligere. Electio autem non est de fine, sed de iis quæ sunt ad finem. Unde appetitus ultimi finis non est de his, quorum domini sumus.*

Porro dixi, finem ultimum formaliter sumptum. Nam liberum arbitrium, quale hic habemus, versari potest circa finem ultimum sumptum materialiter, hoc est, circa Deum, in quo re ipsa consistit beatitudo nostra. Nam sæpe contingit homines deliberare, utrum beatitudinem suam constimere, & quarere debeant in Deo, an in creaturis; & re ipsa cum summa Dei injuria in creaturis constituere & quarere. Sed hoc est per accidens respectu liberi arbitrii nostri, quatenus in hac mortali vita non apparet nobis evidenter connexio finis ultimi materialiter sumpti cum fine ultimo formaliter sumpto, sicut apparet Angelis beatis per visionem beatificam. Unde non solum fini ultimo formaliter sumpto, sed etiam ipsi Deo immobiliter adhærent, sine nulla tamen diminutione liberi arbitrii: imò eo potentius & liberius habent liberum arbitrium, quod Deo adhærent immobiliter.

Dices. Homo potest pro arbitrio appetere vel non appe-